Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2867
Quelle:
Copyright:

rio, in coquina, in pistrino, in lardario, in domo infirmorum, in hospitali, in introitu monasterii et demum *super capsellas et fustes*, quae jam supra *fol.* 3. lecta est. A *Fol.* denique 134. p. 2. universum hoc *Rituale* notis illis *Iudiciis* seu probationibus per *Aquam frigidam* et *ferventem*, per *ferrum ignitum*, et *Panem Caseumque* terminatur. Rubrica primi sic habet: *Incipit Iudicium aquę frigidę. Cum uis hominem in aquam mittere ad comprobationem debes facere. accipe illos homines quos in uoluntate habes mittere in aquam. et duc eos in ecclesiam et coram omnibus cantet presbiter missam* &c. Sequitur dein *Missa* cum reliquis Formulis. Alterius hoc est initium: *Inquisitus aliquis de furto uel luxuria. adulterio. uel qualicumque re alia. et nolens confiteri magistro. seniori. uel misso senioris. ista erit ratio. — Deinde signet locum in atrio ecclesie* (Presbyter) *ubi ignis fieri possit ad caldarium suspendendum. in quo aqua bulliens efficiatur. uel ferrum ignitum* &c. Sequitur praedicta *Missa* cum aliis rursus Formulis. Tertium demum sic orditur: *Iudicium Panis Et Casei. Ex pane ordeaceo pensa XII denarios. ex caseo similiter. accipiatque presbiter in lintheo. et mittat super altare in dexteram partem* &c. Tum iterum *Missa*, preces et conjurationes sequuntur, quarum postrema sic finit: *coniuro te per nomen domini. ut panem et caseum istum nunquam possis manducare. nisi flatis buccis cum spuma et gemitu. et dolore. et lacrimis fauces tuę siccę efficiantur. et obligatę. antequam confitearis peccata tua.* De his judiciis adi *Du Cangii Glossarium Lat.* a D. *Mauri* Monachis locupletatum, ubi et Autores habes, qui *veteres* ejusmodi *Formulas* congessere, quas, cujus intererit, cum nostris contendat. Sequitur in *Cod.* nostro

Fol. 137. p. 2. brevis *Observatio* de genere *Nominum hebraicorum* in *im* syllabam terminatorum, quam excipiunt *Canones* tres de *Libris in Ecclesia legendis*. Horum *primo* Angelorum nomina praeter *michabelis*, *gabribelis*, *Raphabelis* coli prohibentur.

Fol. 138. p. 2. Epistola *Bernonis Abb. Monasterii Augiens.* Sec. XI. Scriptoris ad *Aribonem Archiep. Mogunt.* de *Modo Celebrandi Adventum Domini, quando Nativitas in feriam secundam incidit* cum *Aribonis* Responso. Extat impressa ex *Cod. S. Emmerammi* T. IV. *Thes. Anecdot. Bern. Pezii* P. 2. col. 39. Meminit in hac Epistola *Berno Adalboldi* Ep. et *Herigeri* Abb. συγγχρονων, quorum illum Praesulem *Ultrajectinum* a. 1027. defunctum credimus; hunc vero *Lobiensem* ab a. 990. ad a. 1007. Coenobiarcham, qui, *Sigeberto* et *Trithemio* testibus, sub sua et *Adelboldi* persona Dialogum *de dissonantia ecclesiae* circa adventum Domini conscripsit, a *Miraeo* Gemblaci Ms. visum, ut ipse in *Schol. ad Sigeb.* notat.

Fol. 141. *Inicium Sancti Evvangelii. Secundum Matheum. Liber*